

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Gloria eterna ab  
cum fonte primo

Quantalibet intencione se humana mens tetenderit,  
eciam si fantasias ymaginum corporalium a cogitacione compescat.  
Si enim omnes circumscriptos spiritus ab oculis cordis amoueat,  
adhuc tamen in carne mortali posita uidere gloriam Dei non ualet sicut est,  
sed quicquid de illa est quod in mente resplendet, similitudo et non ipsa est.

Gregorius super Ezechielem omelia VIII.

Non enim ait: Visio gloriae, sed *similitudinis gloria*, ut uidelicet ostendatur quia  
quantalibet se intentione mens humana tetenderit,  
etiamsi iam phantasias imaginum corporalium a cogitatione compescat,  
si iam omnes circumscriptos spiritus ab oculis cordis amoueat,  
adhuc tamen in carne mortali posita uidere gloriam Dei non ualet sicut est.  
Sed quidquid de illa est quod in mente resplendet, similitudo, et non ipsa est.

Gregorius Magnus, *Homeliae in Hiezechielem prophetam*, 1.8.30 (CCSL 142,  
M. Adriaen ed., p.120, ll.661-668).